



57. Interea usque ad finem huius ritus cani potest antiphona:




[VI] E-úntes in mundum, \* alle-lú-ia, do-cé-te omnes




gentes, al-le-lú-ia. E u o u a e.

vel in Quadragesima:



[I] E-úntes in mundum, \* do-cé-te omnes gentes.



E u o u a e.

cum Psalmo 95 (96), vel alius aptus cantus eiusdem generis qui conveniat antiphonæ, præsertim quando Psalmus 95 (96) tamquam Psalmus responsorius in liturgia verbi adhibitus fuerit.

### Psalmus 95 (96)

Cantáte Dómino cánticum novum, \*  
cantáte Dómino, omnis terra.

Cantáte Dómino, benedicite nómini eius, \*  
annuntiáte de die in diem salutáre eius.

(Repetitur antiphona)

Annuntiáte inter gentes glóriam eius, \*  
in ómnibus pópulis mirabília eius.

Quóniam magnus Dóminus et laudábilis nimis, \*  
terríbilis est super omnes deos.

(Repetitur antiphona)

Quóniam omnes dii géntium inánia, \*  
Dóminus autem cælos fecit.

Magnificéntia et pulchritúdo in conspéctu eius, \*  
poténtia et decor in sanctuário eius.

(Repetitur antiphona)

Afférte Dómino, famíliæ populórum, †  
afférte Dómino glóriam et poténtiam, \*  
afférte Dómino glóriam nóminis eius.  
Tóllite hóstias et introíte in átria eius, \*  
adoráte Dóminum in splendóre sancto.

(Repetitur antiphona)

Contremíscite a fácie eius, univérsa terra, \*  
dícite in géntibus: « Dóminus regnávít! ».   
Etenim corréxit orbem terræ,  
qui non commovébitur; \*  
iudicábit pópulos in æquitáte.

(Repetitur antiphona)

Læténtur cæli et exsúltet terra, †  
sonet mare et plenitúdo eius; \*  
gaudébunt campi et ómnia, quæ in eis sunt.  
Tunc exsultábunt ómnia ligna silvárum †  
a fácie Dómini, quia venit, \*  
quóniam venit iudicáre terram.  
Iudicábit orbem terræ in iustítia \*  
et pópulos in veritáte sua.

(Repetitur antiphona)

Non dicitur Glória Patri. Psalmus tamen abrumpitur et repetitur antiphona, postquam Episcopi osculum Ordinato dederunt.

58. Missa prosequitur more solito. Symbolum dicitur secundum rubricas; oratio universalis omittitur.